QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXII. DECEMBRIS,

M. NICOLAO MATHIEV Doctore Medico, Præside.

824

An in curatione luis Venereæ Balneum?

CALIDVM innatum vitæ nostræ fundamentum & fomes, non est forma, sed formæ instrumentum architectonicum, non origine & naturâ, sed ob eximias actiones cœleste ac diuinum, omnem partem penetrat, non vertit in cineres, ab artificiali calore longè distinctum, multóque præstantius; illud tamen deperditur non modò, illo breui ætatis nostræ curriculo, verumetiam vim patitur ab externis. Hostes habet primas qualitates si quando exuperent, sed eas sæpenumerò vincit, & vt substantia accidente nobilior, ita calidum innatum cæteris qualitatibus validius; sed sæpè dat victas manus qualitatibus occultis, malignis, quibus morbi instructi, si corpus adoriantur, illud ab iis in validissimis etiam naturis se se expedire vix potest.

HÆ qualitates in morbis, vel sunt cuiuis homini addictæ, vel communes, quæ propagantur eminùs vt pestis, cominùs vt lues venerea: hæc patrum nostrorum memoria, ab aliquo primum impuro concubitu orta, latiùs diffusa est, adeò effrenata vt natura illius nusquam sit medicatrix, spiritus humores, partesq; solidas infestat, & in ipsis ossibus imperij sui sedem figit, quibus etiam emortuis adest, nec pristino candori restitui sinit, tam varias habet symptomatum facies, vt Protheum dixeris, crudele & infidum virus, nec piis obstetricum aut Chirurgorum manibus parcit, serpitque inter lactentium suauia, sæpiùs tamen per amplexus venereos contrahitur, partesque obscœnas aut vlceribus aut gonorrhœa multiplici fœdat, necnon bubone, qui iecoris inquinati vt plurimum index, nec semper & si suppuratus illius vindex, sæpè negligens inferiora, hepati primum tum demum solidis partibus bellum indicit, victoriæ suæ notas per pustulas exostoses, & dolores in internodiis exprimit, sequitur deprauata nutritio maligno ichore alimentum inquinante; contagium, colubrorum veneno simillimum, quod cum sit calidum, symptomata frigida passim generat, illud maximè acrimonia sua sæuit ita vt si in biliosum cadat, intra paucos annos humidum primigenium sub specie febris Hecticæ depopuletur, si verò in pituitosum, vitæ spatium nihilo faciat angustius: quod liquet ex Hispanis, & Danis lue venerea infectis, vt vt sit, partibus solidis semper infensum ipsarum ruinam molitur.

AD hanc ferocem Hydram contundendam seuerioris notæ Medicus desideratur, qui nouerit ægri naturam, temperamentum, habitum, sexum, ætatem, nec non sæuitiam morbi, eiusque propria symptomata. O di fabulosas Græculorum esurientium pollicitationes, qui contumacissimum istius generis morbum, aliquot pillularum beneficio (has secreta vocant) atque sudatiunculis se extirpaturos promittunt, morbus interea, alto supercilio ea medicamenta, velut arma velitum dedignatus, tabifico veneno potens, se se penitioribus ossibus inserit dominioque suo sæuus, vorat medullas; nec non potionum erethismis, vt fera catulorum vanis latratibus irritata, acriori dolorum cruciatu malignitatis suæ notas prodit, crebrioresque pustulas velut trophea, aucti imperij sui limitibus ponit. Quæ sacra anchora vanis nostris pollicitatoribus in hoc procelloso tot calamitatum æstu? ad charybdim vela conuertunt, ecce nequitia priori simplicitate damnosiori capsulas ligneas componunt & titionum ardentium tristi ministerio, vna non modò humores præparant atque educunt, verum etiam ægros exhaustis humidi primigenij fontibus exanimant, si quibus humidum illud pingue tot supplicijs ferendis par esse potuerit, inspicite exorientem homuncionem vt solem pallidum è crudis albularum nebulis, illi fame genuini crepant nec non mouentur ad gressuum titubantiũ numeros, fronte saxea emicat, digitis ac genubus pungit, crura à brachiis solo situ non mole distingues, pectus tabulatum, cute circumtensa pumice sicciori, laternam punicam efformat, per quam si fissiculator rimetur nil nisi puluerem scobemq; pro sanguine reperiet in venis, larua deniq; ossea est, quæ præmaturo senio confecta, languida paucos post dies occumbit.

MALIM ego aditum speluncæ Cæretanæ in Etruria veteri, nec inutile est importunum illud serpentum quibus scatet commercium: vapor enim humidus cum colubrorum halitu huic affectui multùm prosunt, apage ergo laconica illa sicca & Phalaridis taurum, mitioribus remediis naturæ opitulandum, malignitas effera causæ morbificæ infringenda, viresque naturæ erigendæ sunt, vt si benigniorum remediorum beneficio, chyna, salsaparilla, guayaco, trochiscis viperæ morbus vix euelli potuerit: si ad extrema sit deueniendum, ad mercurium nempe, quem timet illa lues vt nec magis Stellio Scorpionem, ne ille germanus impuræ veneris auerruncus, vi sua syntectica, morbum in altioribus radicibus inuadens, humorem etiam primigenium colliquet, eaque ratione, ægri lue venerea vtcumque curati marasmo pereant. Quæ pernicies auerti non potest alia ratione quam si solidæ partes euchymis alimentis reficiantur, atq; iucundissimo humore perfundantur.

QVÆRIS remedium, quod dolores sedet, somnum conciliet, tenui calore reseratis meatibus, liquatisque per corpus superfluis humoribus, sudores eliciat, partium solidarum ariditatem, roris cœlestis instar corrigat, benignoque affluxu, velut nectar viuificum, non modò tonum ipsarum seruet, verum etiam spiritus tum insitos cum influentes, alacriores viuidioresque reddat; nec non quemlibet malignum & ferum humorem procul à sacris calidi natiui penetralibus arceat? quæris germanum luis venereæ remedium? Balneum est; non curo Subticula in sabinis quod cuti affectæ prosint: aut Cantarella in Puteolano sinu quod ossibus medeantur, nec pluris facio Clusina, Calderiana, Bajana, tot rediuiuorum votis insignita, & sacræ deorum manus auxiliatrices appellata: augustiora apud me sunt, labra domestica Poppeana atque etiam simplicia, vera enim sunt sanitatis tuendæ restituendæque præsidia, quæ ab Atlantidum incolis à primis naturæ incunabulis celebrata, maiori cum auctoritate apud Romanos viguerunt, vigerentque adhuc nisi diruta summi illius imperij maiestate, res balnearia simulatque fatali quadam bonarum artium labe concidisset, politioribus ergo seculis restituatur lui venereæ, febri, omnibus fere morbis accommodatissimum remedium.

Ergo in curatione luis Venereæ Balneum.

Proponebat Lutetiæ PETRVS BOVRDELOT Senonicus. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Lieger.	*M. Petrus Yon.*	*M. Iacobus Perreau.*
M. Ioannes Chartier, M. R.	*M. Claudius Germain.*	*M. Georgius Cornuty.*
M. Ioannes Pietre.	*M. Germanus Preaux.*	*M. Guillelmus Duval, P. R.*

